



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Quae Parocho seruanda sunt in paschali communionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

crucis populo benedicat.

Oratio præcedens ita dicitur: ut illud nomen, [fratribus,] omittatur, quãdo sceminis solum communicatio ministratur: & ve: d contra, cum ministratur maribus tantum, omittitur illud, [sororibus,] Itidemq; singulari numero dicitur [fratri nostro,] si mari tantum; ac præterea, [sorori nostrã,] si sceminæ solum ministrabitur.

Antiphona, & psalmi dicendi pro oportunitate in frequenti communione, ut supra præscriptum est.

Antiphona. Dominus dabit.

Psalmus 84. Benedixisti Domine terram tuam. &c. vsque ad finem. Gloria patri &c.

Psalmus 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. &c. vsque in finem. Gloria patri &c.

Psalmus 33. Benedicam Dominum in omni tempore. &c. vsque ad finem. Gloria Patri &c.

Antiphona. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Quæ Parocho seruanda sunt in paschali communione.

Paschæ tempore, præter ea quæ mox supra demonstrata sunt, hæc Parochus seruabit.

In paschali celebritate, ut nemo parochialium legitime ætatis, quemadmodum est sanctæ matris Ecclesiæ præceptum, omittat hoc sacramentum percipere in sua parochiali ecclesia; sepenu-mero Parochus in quadragesima populo promulgabit, atque adeo explanabit constitutionem illam, in Concilio Lateranensi ab Innocentio Tertio Pont. editam, cuius initium est: [Omnis vtriusque sexus.] Censuramq; in ea sancitam diligentissime proponet.

Quæ constitutio, ut perfecte seruetur, in quadragesima item per familias, ut Concilio Prouinciali cautum est, nomina eorum describet, qui per ætatè rationis vsu adepti, in pascha sacram communionem confessi sumere debent.

Hortabitur aut eos, ut qui in pascha sacram comunione sumere debent, ipso die

Paschæ Resurrectionis id præsentent.

Quo Paschæ tempore ipse, non alius sacerdos ministrabit, si verò frequentem populum habet, alium quoq; sacerdotem adhibeat tunc licet.

Quibus Paschæ tempore sacramentum hoc ministret.

Parochiæ suæ fidelibus in pascha ministrabit: alienæ autem parochiæ nullo modo, nisi ut infra. Proinde quod antiquis canonibus cautum est, ad populum conuersus anteaquam ministret de altari enunciabit; alienæ parochiæ fideles ad proprium Parochum remitti, à quo sacram communionem in paschali celebritate sumant.

Is etiam ministrabit, qui maiorem anni partem in parochia habitauerint: illis quoque, qui saltem sex menses.

Peregrinis item, & aduenis, in diœcesi: at Mediolani eos ad Metropolitanam ecclesiam, ubi communionem sumant, abire Parochus præmonebit.

Illis præterea, qui paucis ante diebus aduenerint, animo constituendi domicilij.

Et verò illis quoque, qui facultatem ab Archiepiscopo literis concessam habuerint.

Aegrotis etiam parochialibus, etiam si communionem sumpserint, in pascha quoque asseret, & ministrabit.

Qui parochiales paschæ tempore à parochia abfuerint, nisi se communionem sumpsisse testatum fecerint, in eos ad præscriptum Conciliorum prouincialium agat.

Qui autem præstituto paschæ tempore non communicauerint, eos ex præscripta formula ad altare altero ex diebus festis pascha proximè sequentibus monerit: & in cõtumacia perseverantes, ad Archiepiscopale forum deferet.

Formula monitionis.

Omnes, & singulos parochiæ nostræ fideles legitime ætatis, qui in pascha ex præcepto sanctæ matris Ecclesiæ sacram communionem sumere debent, qui nondum sumpserunt, hoc monemus; ut intra hanc hebdomadam, aut Dominica proxima sequenti confessi sumant: alio-
qui il-

Cap. 21.

Prou. 5. tit.
quæ ad pen.
sacra. pert.
pag. 222.